



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 3. Cibi spirituales.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Majora secabat in quatuor frustra; de iis tria comedebat in sacros, Trinitatis nomine: quartum in eo amore, quò Mater, & Virgo, suo Jesulo pomum præbuit edendum. Boll. 25. Jan.

## §. III.

## Cibi spirituales.

Cibus verus, & sanctus, & mundus est, fides recta, immaculata conscientia, & innocens anima. Quisquis sic pascitur, Christo convectur; talis epulatur conviva est Dei. Istæ sunt epulæ, quæ angelos pascunt; istæ sunt mensæ, quæ Martyres faciunt. Tertull. ep. de cib. Judaicis.

Sicut, qui sunt in navi, non bibunt ex mari, neque ex eo victum sumunt, sed aliunde important in navim; hõc modò Christianorum animæ, non à Sæculo isto, sed desuper è cælo, cibum cœlestem capiunt. Escobar. t. 1. Math. 8. Obf. 3.

Quantum quisque spirituales epulas edit, tantum & esurit: quæ, quia ad plenum nunquam comprehendi possunt, nunquam desideranti sufficiunt. Rich. à S. Vict. c. 14. in Cant.

Illæ æthereæ naturæ portio, scilicet anima, habet alimenta divina, æthereaque: nam scientiis nutritur. Philo l. 2. allegor.

## TITULUS XIV. CIRCUMCISIO CHRISTI.

## Circumcisio in genere.

**A**mbula coram me. Gen. 17. 1. Chald. Servias coram me. v. 10. Circumcisio præcepta, ut Judæi recordarentur, se transiisse in jus Dei, seque totos illius esse; sicut nostra signare solemus. Corn. hic.

Cum circumcisis labiis sim. Ex. 4. 10. Hebræi incircumcisum corde, mente, vel linguâ, vocant eum; qui aliquò vitio, cordis, vel mentis, vel linguæ, laborat. Corn. hic.

Nota, quòd multiplex est circumcisio: scilicet mentis à pravis cogitationibus; cordis, à pravis affectibus; oris, à pravis locutionibus, auris, à detractionibus. S. Thom. in Jerem.

## Circumcisio Christi.

Conchylia, cum sunt tecla, ferramentis circumciduntur; ex quibus plagis purpurea sanies, ut lacryma, profluens, excussa in mortariis terendo comparatur. Vitruvius l. 7. cap. 13. Arcon. in l. 1. Disc. 8.

Christum D. à B. V. fuisse circumcisum in Bethlehem, traditur in libro de vera Circumcisione, qui est inter opera S. Hier. & tractatu de lamentatione virginis, qui tribuitur S. Bernardo; & communiter tenent Recentiores. Sylv. in Luc. 2. q. 1.

Cur circumdatur? S. Ambros. voluit legem cum honore sepelire: ut tu inde, cum res in magnam attolluntur celsitudinem, cognoscas; proximè instare illius ruinam, & occasum. Sylv. c. 3. Luc. 2. hic q. 1.

Circumciditur propter communitatis, & unitatis commendationem; ut & nos singularitatem vitemus, nè pro peccatis nostris puniri spernamus. Dion. Carthuf. Sylv. cit.

Christus in Magorum adoratione, ut totius Universi Supremus Dominus, est recognitus. Benè ergo prius circumciditur: quia, ad dignitatis recipiendos fructus, prius molestiæ degustanda. Id. q. 3.

Accelera, festina. Is. 8. 3. Optimè noverrat Isaias nascentis Christi curam, quando vocavit illum: accelera, festina: nam vehementer festinabat sanguine suo nos redimere. Hoc e-

rat illi in optatis; & illius sacratissimus sanguis pungebatur aculeo, ut quàm citissimè fundere- tur. Baeza l. 1. c. 4. §. 1.

Nascitur in Judæa, non inter Gentiles: quia Gentilitas carebat circumcisione. S. Irenæus l. 3. Ludolph. à Saxonia p. 1. c. 10. tempestivè cepit pati pro nobis; & qui peccatum non fecit, pœnam hodie portare incipit pro peccatis nostris: non solum enim in virili, sed etiam in infantilitate, sanguinem suum pro nobis voluit fundere. Paoletti in festo SS. Innocent.

Christus octavam diem à Nativitate vix expectat, ut suum tibi sanguinem impendere incipiat. Tu, non dico, post octo dies, sed nec post octoginta menses; imò & octoginta annos, solam non rependis voluntatem. Ille vix natus sanguinem suum tibi effudit; tu jam moriturus, voluntatem tuam non refundis? S. Bernard. tr. de pass. Dom. super: ego sum vitis vera, c. 2.

Quotidie filios suos mater Ecclesia circumcidit circumcisione spiritali; nè fides Christi moriatur in illis; tangitque pedes ejus, dicitque inter circumcidendum filiis suis: *Christus passus est pro nobis, vobis exemplum relinquens, ut sequamini vestigia ejus.* Rupert. l. 1, in Exod. Arcones in l. 1. Disc. 4.

Videtur, quòd Christus in Circumcisione sua tenuerit modum magni Mercatoris, venientis ad feriam, pro emendo pretiosas merces; quas non solvit; sed dat signum, vel arrham. Deinde tempore statuto solvit totum pretium. Ità fecit D. N. J. C. qui venit de cælo ad terram, in quam intravit in die Nativitatis, ad emendum pretiosas margaritas, id est, animas, dicens Mundo: *da mihi animas, cætera tolle tibi.* Gen. 14. 21. S. Vinc. Ferr. in Circumcis. Dom.

Christus primò Nativitatis die lacrymas, octavo die sanguinem effudit. Quàm serò cepit Filius Dei concionari! & quàm citò pro nobis sanguinem fudit! Did. Stella in Luc. 2.

Die octavâ voluit sanguinem effundere, qui primus anni est; ut toto annò fixum in nostra me-